

rant, *interim* permitterentur, dum de illorum dissentientibus sententiis a Concilio decerneretur. Id factum moleste admodum Pontifex tulit, atque a Germanica legatione Sfrondato Cardinali evocato, Fani Episcopum optimis moribus, & doctrina excultum nuntium ad Cæsarem misit, qui de iis, quæ gesta fuerant, expostularet, acta rescindi peteret, quæcunque posset Germanicæ genti per Legatos Pontificem concessurum polliceretur. Mox Pighio, ac Veronensi Episcopis in Germaniam missis, prolapsis rebus, nullum remedium morbo sævienti afferri potuit, quin in dies augendo fese, ac proferendo, ingenti totius reipublicæ christianæ malo per alias quoque provincias graffaretur. Hujus pestis ne aliqua labes imperium Venetum afficeret, diligens, & admodum severa Venetorum cura, ac diligentia extitit, qua effectum est, ut eam urbem, in quam ex totius orbis regionibus innumeræ gentes confluunt, nulla morbi illius contagia attigerint.

Dum hæc fiunt, diversisque curis, irrequieto studio Principum mentes solicitantur, Maximilianum Ferdinandi filium, nuper filia connubio juncta, generum sibi adscitum, Carolus in Hispaniam proficiisci jussérat, ut, Philippo in Germaniam proficiscente, Hispaniarum administrationem susciperet. Illi per Reipublicæ fines iter habenti, Vicetiæ, ac Veronæ præfecti obviam ivere, Senatusque nomine liberaliter excepere. Philippus vero ad patrem in Belgium iturus, Barcinonæ cum classe, cui Andreas Auria imperabat, solvens V. kalend. decembris Genuam pervenit. Ea in urbe Italorum Principum legatos obvios habuit; Federicum Baduarium, præclara juventa insignem, qui id muneric obiret, Senatus delegit: is, Patrum nomine Genuæ Philippo consulatato, per Venetas ditiones comitatus est. Nulla publicæ Venetorum liberalitatis, ac studii erga præpotentem Principem, Cæsarisque filium officia, atque argumenta desiderata sunt; pons peregregie ornatus Athesi amni, qua transeundum erat, instratus fuit; eum ad Veronensem fines, nobili, ac frequenti plurimorum corona stipatus Veronæ præfектus excepit, magno variis ex locis mortaliū numero visendi studio confluente. Inde ex agro Veronensi Tridentum profectus, per Germaniam in Belgium ad Cæsarem Bruscellis commorantem transiit, qui, ut assiduo metu

Ger-

1548
Cæsar edi-
ctum pro-
mulgari juf-
ft, Interim
vocabat.

Paulus Pö-
tifex Fani
Episcopum
ad Cæsarem
mittit ut
acta rescin-
deret.

Pighius &
Veronæ Epi-
scopus a Pö-
tifice in
Germaniâ
miss.

Venetorum
sedulitas ad
boreas a
suis ditioni-
bus arcen-
das.

Cæsar, filia
fratris filio
unita, illum
in Hispaniam mittit
Veneti Maxi-
milianum
ad fines
Reipublicæ
excipiunt.

Philippus
Res ab Au-
ria Genuæ
perducitur.
Federicus
Baduarius
orator ad
Philippum
Regem.